Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39281
Copyright: Kremsmünster, Benediktinerstift



164. 160.

et ego salvabo: et non est qui de manu
mea possit eruere. Lavabo ad nihi
lum manus meas: et circumdabo altare tuum
Domine. Ut audiam vocem laudis: et enarrem
universa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus
tue: et locum habitationis gloriae tue. Ne perdas cum impiis
deus animam meam: et cum viris sanguinum vitam
meam. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera
eorum repleta est muneribus. Ego autem in innocentia
mea ingressus sum: redime me et miserere mihi.
Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te domine.
Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo.
Dominus protector vitae meae: a quo trepidabo.
Dum appropiant super me nocentes: ut edant carnes meas.
Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt et ceciderunt.
Si consistant adversum me castra: non timebit cor meum.
Si exurgat adversum me bellum: in hoc ego sperabo.
Unam petii a domino hanc requiram: ut inhabitem in domo domini.
Omnibus diebus vite mee: ut videam voluntatem domini.
Et visitem templum eius. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo.
In die malorum: protexit me in abscondito tabernaculi sui.
Et in petra exaltavit me. Et nunc ecce exaltavit caput meum super inimicos meos.
Circumdedi in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo et psalmum dicam domino.
Exaudi domine vocem meam qua clamavi ad te: miserere mei et exaudi me.
Tibi dixit cor meum exquisivit te facies mea: faciem tuam domine requiram.
Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo.
Adiutor meus es ne derelinquas me: neque despicias me deus salutaris meus.
Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: dominus autem assumpsit me.
Legem pone mihi domine in via tua: et deduc me in semita recta propter inimicos meos.
Ne tradas me in animas tribulantium me: quia insurrexerunt in me testes iniqui.
Et mentita est iniquitas sibi: credo videre bona domini in terra viventium.
Expectabo dum veniat dilectus meus: ut cum venerit et pulsaverit aperiam ei.
Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atrium domini.
Cor meum et caro mea exultaverunt in deum vivum: etenim passer invenit sibi domum.
Et turtur nidum ubi reponat pullos suos: altaria tua domine virtutum rex meus et deus meus.
Beati qui habitant in domo tua domine: in saecula saeculorum laudabunt te.
Quia fortitudo eorum es tu domine: et in voluntate tua exaltabitur cornu nostrum.
Quia in nomine sancto tuo speravimus: exultabimus et laetabimur in salutari tuo.
Quoniam laetificasti nos domine in factura tua: in operibus manuum tuarum exultabimus.
Quam magnificata sunt opera tua domine: nimis profundae factae sunt cogitationes tuae.
Vir insipiens non cognoscet: et stultus non intelligit haec.
Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum: et germinaverint omnes qui operantur iniquitatem.
Ut intereant in saecula saeculorum: tu autem altissimus es in aeternum domine.
Benedicite omnes angeli dei domino: benedicite coeli domino.
Benedicite aquae omnes quae super coelos est